

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Promptuarium allegoriarum sacrarum praecipua fidei christianae capita illustrantium: indice quadruplici instructum post editiones 5 revisum, iam septimo recusum

Botsack, Johann

Francofurti ad Moenum, 1678

Cap. XIV. De bonis operibus

[urn:nbn:de:bsz:31-142795](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-142795)

DE BONIS OPERIBUS.

BONI OPERIS AUTOR DEUS.

1268. *Coaguans pedes meos cervis, inquit David, Pſal. 18. v. 34. Notatur Dei bonitas, dantis velle & perficere, Phil. 2. v. 13. sine eo nihil efficere possumus, Job. 15. v. 6. nihil boni cogitare, 2. Cor. 3. v. 5. itaque pedes nostros præparat, ut instar cervorum alacriter in via vocationis nostræ curramus, 2. Tim. 4. v. 7. 8. aspere hunc mundi montem transiliamus.*

BONORUM OPERUM CAUSA efficiens.

1269. *Exod. 40. v. 9. Tabernaculum, & quicquid in eo continebatur, sacro oleo unguendum erat. Tabernaculum Domini cor nostrum est, 1. Cor. 3. v. 16. ex quo si gratus Deo cultus proficisci debet, Rom. 12. v. 12. oleo lætitiæ, vel Spiritus S. illud est unguendum, & boni operis auspiciū S. sancto, cor lapideum ungenti & mollescenti, acceptum est ferendum, ut verè appareat, nos unctos Domini esse, quando pietatis & sanctæ conversationis odorem ubique spargimus, Titum 2. v. 10. 1. Petr. 2. v. 15.*

BONORUM OPERUM DEUS efficiens.

1270. *Columna marmorea, trabes, ligni templi Salomonici, in regno Israel non creverant, sed aliunde advehebantur, 1. Reg. 5. Ita virtutes spirituales in anima non crescunt, neque femina habent in ea, sed aliunde advehuntur.*

advehuntur, à DEO dantur. In cordibus vestris virtutum solum lolia sunt, Matth. 15. vers. 19. Gen. 6. v. 5. cap. 8. v. 21.

STUDIUM BONORUM operum.

1271. *Moses & populus Israel monti appropinquaturi*, se sanctificabant, Exod. 19. vers. 10. At nos accessimus ad *montem*, non Sinai terribilem illum, Exod. 19. vers. 16. sed *Sion* amabilem illum, Hebr. 12. vers. 22. ad civitatem Dei viventis, hoc est, Ecclesiam N. Testamenti, cujus concives facti sumus, Ephes. 2. vers. 19. & domestici in Domo Dei, 1. Tim. 3. vers. 15. In hac Ecclesia Deus vivens est, vitam æternam dans per Christum, non mortem minitans per legem, Rom. 8. vers. 1. iis qui sunt in Christo. Accessimus ad cœlestem Hierosolymam, quæ perpetua erit, Galat. 4. v. 26. Matth. 16. vers. 18. Terrestris Hierosolyma, jam pridem funditus sublata. Sanctitati ergo operam navemus. Quanto majus hic Dei *beneficium*, tanto severius nostrum erit *officium*.

BONA OPERA LUCERE debent.

1272. *Flores in terra apparuerunt.* Cant. 2. vers. 12. Hi notant fructus bonorum operum, quæ debent in terra apparere, hoc est, lucere coram hominibus, Matth. 5. vers. 16. (Hinc Psal. 1. vers. 4. pius arbor florida introducitur, fructus suos suo tempore ferens.) Pii enim sunt qui germinant, etiamsi senuerint, Ps. 92. vers. 15. Pii germinant & floridi sunt instar rosæ inter spinas, Ose. 14. vers. 6. Mundus est illud spinetum, in quo tamen florent pii. Horsum pertinet admonitio, Syr. cap. 14. vers. 17.

Hinc spiritualem operum florem illi in V. T. varii

N n flores

flores significarunt, Exod. 25. v. 31. cap. 37. v. 17. 1. Reg. 7. v. 42. Ipse Christus flos est, Cant. 2. v. 1. Quicumque in Christo est, florere debet. Vitis fructifera est, palmitibus steriles rejicit, Joh. 15. v. 6. Væ autem flori marcescenti, Esa. 28. v. 1. Quisquis ergo est in terra, Christi flores habeat apparentes, lucem coram hominibus lucentem, *Luceat lux*, Matth. 5. v. 16.

BONIS OPERIBUS ORNEMUS fidem.

1273. Psal. 45. v. 14. *Sponsa in fimbriis aureis procedere dicitur.* Vestis ipsa, qua vestitur, Christi innocentia est. Esa. 61. v. 10. Apoc. 3. v. 4. sed fimbriæ aureæ bona opera sunt; vestes enim fimbria exornamus: Ita bonis operibus exornamus doctrinam JESU Christi. Titum 2. vers. 10. *Procedit enim in aureis fimbriis*, quia intus pulchritudo ejus est, quæ soli sponso cognita, Psalm. 45. v. 14. ut vestis illa intrinsecus apparens. Fimbriæ ergo extrinsecus apparent, quia ex operibus sententiam Christus in die decretorio promulgabit, Matth. 25. v. 36. Ipsaque fidei interna vestis per externam operum fimbriam innotescit. Fides enim per charitatem efficax est, Gal. 5. v. 6. Hæc fimbria aurea est boni operis splendore, quia fulget, sicut aurum: ob constantiam auri, quam boni imitari debent, non deterreri malis Matth. 5. v. 34. seq. 1. Petr. 4. v. 4.

Hæ sunt vestes illæ acu pictæ d. Pl. v. 15. opera bona & pulchra, quibus pii ornati esse debent. Huc pertinet cingulum sacerdotis, Exod. 28. v. 39.

BONA OPERA FIANTE IN

vera fide.

1274. Lev. 3. v. 16. *Omnis adeps Domini erit.* Bona opera sunt spiritualis adeps. illa fiant in honorem Domini

mini, Domino sacra esse debent, ut ita glorificetur pater cœlestis, Matth. 5. v. 16. *Omnia in gloriam Dei facite*, 1. Cor. 10. v. 31.

BONA OPERA DEO

placent.

1275. *Sponsus pasci dicitur inter lilia*, Cant. 2. v. 16. Hæc pios significant, qui in convalle hujus mundi plantati, bonorum operum odorem ubique diffundere debent. Christi enim opus sumus, conditi ad bona opera, Eph. 2. v. 10. diligentes esse debemus in operibus bonis, Tit. 2. v. 14. Ita Christus inter nos ambulabit, gratiose bonum opus confirmando, quod incepit, Phil. 1. v. 9. 2. Cor. 6. v. 10. Pii ergo instar liliorum florere debent, Syr. 40. v. 17.

NON PLACENT, NISI IN SUBJECT

renato, opera bona,

1276. *Mundorum duntaxat animalium adeps Deo offerendus erat*, Lev. 3. v. 16. Bonorum operum adeps Deo gratus non est, nisi à persona reconciliata; Impossibile est Deo placere absque fide, Hebr. 11. v. 6. Rom. 14. v. 6. Hi reconciliati demum mundi sunt, sanguine Christi omnia mundantis, 1. Joh. 1. v. 7.

OPERA IMPIA PEREUNT.

1277. *Israélite quæ seminabant, Midianitæ vastabant*, Jud. 6. v. 4. seq. Hæc est sementis impiorum, qui cum in carne serant, Galat. 6. v. 8. & in spinas, ser. 12. v. 13. Luc. 8. v. 14. infernales Midianitæ vastant, & aut fetem succendunt, cum conscientia ignem sufflant, stipulas absummentem, aut eandem auferunt in die illo decretorio, cum vis illa impiorum planè peribit, Psalm. 1. vers. ult. messis nulla erit, Luc. 12. vers. 20.

Nn 2

excm.

exemplo divitis illius, & aurum argentumq; eripere non poterunt, Soph. 1. v. 18 Syr. 5. v. 10. Possunt huc allegoricè referri, quæ de pœnis Israelitarum Esaias habet cap. 17. v. 11.

BONA OPERA DEBENT ESSE spontanea.

1278. *Jonadabhi filii, patris sui voci obtemperantes, vinum non bibebant*, Jer. 35. v. 8. Spontanei ita se subicientes voto patrio. Horum obedientiam imitari debent Christiani, ut sint populus spontaneitarum, Psal. 110. v. 3. Ita fiet, ut spontaneè nos Deus diligat, Ose. 14. v. 9.

Mala opera sunt vinum pessimum, de quo Domini querela, Deut. 32. v. 33. hoc vinum est iniquitatis, Prov. 4. v. 17. & malitiâ velut aquâ mixtum, Esa. 1. v. 22. quod ex labruscis vel impiis exprimitur, Esa. 5. v. 4. Hoc vinum bibere vetuit Deus, bonis operibus nos emancipatos esse vult.

MANDATUM DOMINI, BONORUM operum fundamentum.

1279. *Israëlita eligentes regem, Dei iram concitârunt, nihilominus tamen ipse Deus Saulem eligit per Saulem, ut ita significet Dominus, nullum opus placere, nisi cujus ipse autor, inceptor, perfectior; idè irritus fuit, quia autor non fuerat, ipse rex esse volebat*, 1. Sam. 12. v. 12. Ut autem electio regis rata esset, ipse regem elegit, sed tamen in furore dedit, Ose. 13. v. 11.

PERSONA PLACENTE, PLACENT opera.

1280. 1. Sam. 21. v. 5. *Pueri mundi erant, & à mulieribus*

teribus se abstinuerant, ideo sanctus panibus vesci usdem licebat. Quicumque spiritualiter mundi sunt, per sanguinem Christi, Apoc. 1. v. 5. nec spiritualiter scortati sunt, sanctis panibus vesci possunt, hoc est, operum Deo placent & approbantur.

FIDES ET BONA OPERA

conjuncta.

1281. 1. Sam. 26. vers. 23. Vox Davidis ad Saulem, *Dominus unicuique retribuet, secundum justitiam & fidem.* Justitia ergo operum & fides conjunctæ sint, ut illa fulgeat coram hominibus exterius, hæc soli Deo nota interius.

BONA OPERA FACIENTES.

1282. *Sunt vasa in honorem,* 2. Tim. 2. v. 19.

1. Vasa sunt, quia solus Deus gratiam bene operandi concedit, Deus est, qui dat velle & perficere, Philip. 2. v. 13. homo est vacuum vas, gratiam recipiens, 2. Cor. 12. v. 9. cap. 13. v. 4.

2. Vasa sunt in honorem: Bonis namque operibus pater glorificatur, Math. 5. v. 16. hostium veritatis cavillis occurritur, 1. Pet. 2. v. 15. In honorem Dei fiunt illi fructus justitiæ, Phil. 1. v. 11.

Mala autem opera fiunt in dedecus & opprobrium professionis nostræ, Jerem. 2. v. 11. efficiuntque ut nomen Domini blasphemetur, exemplo Davidis, 2. Sam. 12. v. 14. & Judæorum, Esa. 52. v. 5. Rom. 2. vers. 24. *Væ vasis istis!* quæ periculum, nî respiscant, manet *fractionis*, Jer. 18. v. 2. seq. & projectionis: Vasa dedecoris non feret rex ille, qui ardet desiderio nostri decoris, Ps. 45. v. 12.

Vasa hæc honoris aurea & argentea sunt pro diversis virtutum gradibus: Sibi ipsis honorifica erunt

Nn 3

cum

cum audient vocem illam: *Euge serve fidelis, intra in gaudium Domini tui!* Matth. 25. v. 23.

OPERA BONA SUNT PLANTARUM

Spiritualium germina & plantæ.

1283. *Pis sæpe planta dicuntur & palmites*, Joh. 15. 2. Esa. 60. 21. & alibi. Plantæ ergò cum sint, germen spirituale habeant necessum. Bona opera & pietatis studium sunt illud germen.

1. *Germen in se habet multum humoris & caloris, quem ex radice atrahit*: Ita bona opera habent *calorem* dilectionis erga Deum, cujus mandato obtemperant, & erga proximum, quem juvant operâ & consiliò. *Humor autem* in bono opere est spes & alacritas illa agendi spontanea, quæ filiorum Dei propria est, Ps. 110. v. 3. *Qui seminat, in spe seminat*. Christus spes nostra est, in quo seminamus, & olim metemus cum gaudio, Psal. 126. v. 5. 6.

2. *Germen & planta partes suas habent*:

1. *Radicem.*

2. *Stipicem.*

3. *Florem.* Opera bona *radicem* habent divinam gratiam, *stipes* est fides, *flas* est delectatio, quæ operum illam fertilitatem consequitur.

3. *Calor* penetrat ad medullam radicis plantarum, partes unctuosiores ad se trahit, protrudit & indurat: *Gratia Dei calor* est, penetrans cordis medullam, præparans bona opera, pietatis exercitio utili illo 1. Tim. 4. v. 7. indurans.

4. *Virtus radicis* transit in substantiam germinis. Si bona radix cordis fuerit, ejus virtus statim in operum bonorum gerinen transibit.

Pii ergò fructificantes sunt plantæ illæ in honorem Deo

Deo fructificantes, Philip. 1. v. 11. ad decursus aquarum
verbi spiritualium, Psal. 1. v. 3. Jer. 17. v. 8. per ministe-
rium doctorum, Jer. 1. v. 10. ipso Deo agricola, Joh. 15.
v. 1. Jerem. 31. 9. per verbum in nobis plantatum, quod
est semen, Jacob. 1. v. 21.

OPERA BONA SUNT BONI

fructus.

1284. Ita sæpè vocantur, Matth. 3. v. 8. 10. Galat. 5.
v. 22. Ephes. 5. v. 9. Philip. 1. v. 11. cap. 4. v. 17. Jacob. 3.
v. 17. & alibi.

1. *Arbor est fides*, ex qua pullulant boni fructus,
Gal. 5. *Fides efficax*, v. 6.

2. *Humor est Spiritus sancti vis*, quæ piis commu-
nicatur.

3. *Calor solis ipse Christus est*, qui nos, ut sol ille,
Malach. 4. v. 2. gratiæ suæ radiis obumbrat, in quo so-
lùm fructificamus, tanquam lignò illò vitæ mensibus
singulis fructum reddente, Apoc. 22. v. 2. & Joh. 15. v. 2,
vite, & olivâ illâ spirituali, cui insiti sumus, Rom. 11.
v. 17. ut ejus radices & succi participes redderemur.

Fructificemus itaque in Christo. Osæ. 14. v. 9. quia
utique justo fructus erit. Psalm. 58. vers. 12. quia surgit
sponsus, ut videat, num vinea fructus proferat, Cant. 7.
v. 12. Esa. 5. v. 4. num palmites fructificent, Joh. 15. v. 2.
Infelix arbor! cujus *fructus mali*, ideo dispergenda,
Dan. 4. vers. 31. cujus *fructus nulli*, ideo maledicta, ut
Matth. 21. v. 19.

BONUM OPUS EST THYMIAMA.

1285. Exod. 30. v. 34. *Moses thymiama parare ju-
betur, purum & sanctum, in pulverem contusum.*

N n 4

1. Bo-

1. Bona opera sunt gratissimum DEO thymiama, cum in fide fiunt, maxime beneficentiæ, Phil. 4. v. 18.

2. Thymiama erat purum vel mundum. Bonum opus non sit inquinatum sordibus Pharisaicæ ostentationis, aut malitiôsæ simulationis, Matth. 6. vers. 1. Luc. 18. v. 11. Syr. 1. v. 33.

3. Contusio illa in pulverem, accuratum boni operis examen significare potest.

BONA OPERA SIGNIFICATA

in ornatu sacerdotum Vet.
Testamenti.

1286. *Ornatus summi sacerdotis undiquaq; elegantissimus erat, à capite ad calcem*, Exod. 28. per totum: Sacerdotes spirituales nos sumus, Apoc. 1. v. 6. cap. 5. v. 10. cap. 20. v. 6. 1. Petr. 2. v. 5. 9. Esa. 61. v. 6. ornatos igitur & nos esse oportebit, doctrinam Dei ornare vitæ sanctimoniâ, Tit. 2. v. 10.

211. *Cælum ornant stellæ*, Syrach. 43. v. 9. Ecclesia est cælorum regnum, in quo lucere debemus instar stellarum luce illa, de qua Matth. 5. v. 16. Qui non lucet, solem lucidum Christum non sequitur, qui nobis præluxit, quique nos ornare vult bonis spiritualibus, Ezech. 16. v. 13. Esa. 61. v. 10. Ne simus sues proculcantes margaritas, aut in cœno peccatorum nos volutantes, 2. Petr. 2. v. ult. sed gaudeamus ornari indies, ut sponsa Christi spiritualis, Pf. 45. v. 10. seq.

BONA OPERA SUNT FOLIA

defluentia.

1287. *Psal. 1. v. 3. Folia pii non defluent.* Bona opera non defluentia sunt folia; in iudicio enim extremo florida erunt, tanquam bonæ arboris, fidei non degeneres fructus: Hos Christus ipse ostendet, Matth. 25.

Ciba-

Cibastis, potastis, insistis. Oleæ, lauro, myrto, cupresso, hæderæ, folia non decidere, cum naturæ myrtis auctor Plinius l. 16, nat. hist. cap. 20. Pii veræ oleæ lauri, myrti, cupressi, arborum harum imitatione. Itaq; nec eorum folia defluent, h. e. bona opera. Olim ex foliis, omnis generis coronæ nectabantur. Ex bonorum operum foliis, tanquam SOLIUS FIDEI FRUCTIBUS, piis in iudicio textetur corona illa laudis, (quia scilicet ex fructibus arbor dijudicanda) quam Christus fidei argumentum apodicticum, ostentabit. Ibi pii flore- bunt sicut folium, Prov. 11. v. 28. Jer. 17. v. 8.

BONA OPERA FACIENDA.

1288. *Dies mei sunt sicut dies operarii.* Job. 7. vers. 1. non tantum ob ærumnas & angustias in vita; verum etiam, quia oportet nos laborare, operibus bonis studere. Qui hoc præstare recusaverit, cum prodigo penitentiam aget, Luc. 15. v. 19. omnes enim DEUS in vineam suam misit, ut in illa laborent, Matth. 20. v. 2. vinea hæc vel est *chori*, Matth. 9. v. 37. vel *fori*, Esa. 3. v. 2. vel *thori*, Psal. 128. v. 3. Multi autem sunt fraudulentii laboratores, 2. Cor. 11. v. 30. Phil. 3. v. 2. in choro, de quibus Apostolus d. l. multi etiam in foro, in thoro multi.

OPERA BONA LAUDANTUR.

1289. Prov. 31. v. 31. *Date uxori sedula de fructu manuum suarum, laudate opera ejus in portis.*

Anima fidelis comedit fructum operum, non tantum in hac vita: pietas enim ad omnia utilis est; Verum etiam & maxime in altera vita, Matth. 25. vers. 23. *Serve fidelis.* Opera bonorum in portis laudabuntur, quando nimirum iudicium habebitur in die decretorio illo, Matth. 25. *Vos cibastis, potastis!*

Nn §

OPE.

OPERA BONA PRÆSTANDA IN
hac vita.

1290. Exod. 16. v. 22. *Die sexta duplices cibos collegerunt*: die namque Sabbathi colligere non licebat. Dies illa sexta hanc vitam significat, qua durante debemus strenuè operari; septima enim die (iudicii illius extremi & decretorii) nullum operandi aut ferendi tempus erit; sed solum metendi, Gal. 6. v. 9. 10. Joh. 9. v. 4. *Veniet nox, quando nemo potest operari.* Nox illa est extremi dici: ne simus tenebrarum filii, ne & noctis simus; nox illa nos obruat? Filii simus lucis, arma gerentes lucis, Rom. 13. v. 12. 1. Theff. 5. v. 4. 5. Operare ergo instanter, quia nec opus nec ratio, nec sapientia nec scientia erunt apud inferos, Eccl. 9. v. 10. Mortui nil merent, ibid. v. 5. 2. Cor. 9. v. 6. *Qui parce seminat, parce metet.*

PALMITES INUTILES, BONIS OPERIBUS non studentes.

1291. Ezech. 15. v. 2. *Ex ligno vitis non fit opus, nec de eo fabricatur paxillus, sed igni datum est in escam.* Lignum vitis, ex quo opus non fit, omnes hypocritæ sunt, qui nullum faciunt pietatis opus; nec solidum fructum, 2. Tim. 3. v. 5. ideo ex vera vite Christo excinduntur, ut inutiles palmites, Johan. 15. vers. 2. seq. Rom. 11. v. 19. seq. igni in escam dantur. O infelicissimos sterilitatis vulgatissimæ fructus!

Audi Ecclesiasten: *Arbor vel lignum, si ceciderit ad Austrum vel Aquilonem, in quocumq; loco ceciderit, ibi erit,* cap. 11. v. 3. Arbor quisquis homo est in hac vita; Stat, sed ut fructus ferat: Moritur, ut cadat, ut supplicium ferat: cadat ad Austrum gloriæ, cadat

ad Aquilonem ignominia, si mala fecerit, Dan. 12. v. 2.
 Joh. 5. v. 29. Ad Austrum gloria, si bona: in hoc Au-
 stro pleno jubare sol exoriatur piis: In Aquilone igno-
 minia sulphur, pix, ignis, malis.

OPERA BONA IN CHRI-

sto placent.

1292. 2. Reg. 2. v. 21. *Insalubres aquas Jerichunticae, injecto sale, restituit Elisa, dulcesque reddidit.* Opera nostra nihil sunt, nisi putrida aqua luto peccatorum turbida, insipida, amara, ingrata & peccata, Rom. 14. v. ult. *Quicquid non est ex fide, peccatum est:* Eadem tamen opera grata acceptantur in Christo, in quo omnis gratia, ex cujus plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia, Joh. 1. v. 16.

OPERA NOSTRA NUDA

coram Deo.

1293. Exod. 4. v. 6. *Nuda manus Moysis lepram praeferebat; in sinum recondita, sana apparebat:* Ita opera nostra nuda in conspectu Dei, Apoc. 3. v. 18. lepra peccati semper infecta sunt, Syrach. 27. v. 5. At si in sinum Christi & misericordiae ejus inferantur, in Christo sana judicantur, (fide namque sola in Christo sumus, ei placemus) qui sanat omnes contritiones nostras, Pl. 103.

quicquid imperfectionis adharet nostris operi-

bus, sua perfectissima obedi-

tia refarcit.

CAP.